Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1159
Quelle:
Copyright:

tinum transferre praecepto Cujusdam, quem *dominum sanctum ac beatissimum patrem* compellat. Extant eadem *Acta* in *Bibl. Augusta* graece, eadem *praef.* graece praemissa, ut habes *Lambecii* L. VIII. p. 321. edit. *Kollar. col.* 683. in qua adductis gemina: *τον δε της Ρωμης Επισκοπον Σιλβεςρον εκ της ελληνιδος συγγραφης μεταδειναι με κελευσας, αγιωτατε Δεσποτα και μακαριωτατε*, quae sane pium fucum faciunt, produntque *Actorum* istorum Conditorem *Eusebium* non esse, ut quid enim graece scripta graece traducas, nisi dicantur genuina *Eusebii* intercidisse. Quid quod viro huic non absque injuria Fabulae ejusmodi tribui possent. Itaque jam *Gelasii* I. tempore verus Autor earum ignorabatur, ut patet ex ejus *Decreto* apud *Gratian. Dist.* XV. c. *Sancta Romana Ecclesia.* E quo simul patet diversa esse ab iis *Silvestri Acta*, quae *Simoni Metaphrastae* tribuuntur, producta ab *Al. Lipomanno* et *Laur. Surio* ad diem 31. *Decembr.* Nostra extant multo tamen pleniora T. II. *Bon. Mombritii de Vit. SS. s. l.* et *a. f.* Neque enim in *Cod.* in *Libros II.* divisa sunt, neque ulla Philosophorum *Cratonis* et *Zenophili* in disputatione fit mentio, totaque Narratio, quae incipit: *Silvester igitur Urbis Romę episcopus cum esset infantulus a uidua Matre sua Iusta nomine traditus est Cyreno Presspitero* &c. desinit in *Tauro* ab eo resuscitato his verbis: *et ex eo cepit ab omni populo romano magnificari nomen domini ihesu christi amen. Explicit Actus Sancti Silvestri.* Plura de iis *Actis Fabricius Bibl. Gr.* T. VI. p. 103. T. IX. p. 141. *Bibl. med. Lat. L.* VIII. v. *Helena*, et L. XVIII. v. *Silvester*, sed cave, credas totam *Silvestri* cum Judaeis disputationem inveniri in *Franc. Combefisii Bibliotheca PP. concionatoria* T. II. ad *Dom. I. Quadrag.* ut ille adserere videtur; est enim ibi tantummodo Particula *de Domini a diabolo Tentatione* integrorum *Actorum*, quae *Combefisius* in *lectis Martyrum Triumphis Paris.* 1660. e *Cod. Mazarin.* 8. publicavit.

XXXVII. *fol.* 100. *Incipit Passio Sanctæ Agnes Uirg. quę passa est XII. Kl. Febr. Seruus Christi Ambrosius episcopus. Uirginibus Sacris.* Initium: *Diem festum sacratissimae uirginis celebremus. Hinc psalmi resonent* &c. Finis: *Haec ego Ambrosius seruus christi dum in uoluminibus additis* (Mombrit. *diuinis*, putem *abditis*) *inuenissem — in conspectu domini ualeat inuenire. Regnante domino nostro* &c. Olim inter *Ambrosii Sermones*, ut *Paris.* 1569. p. 789. edita, nunc ei merito abjudicata, legitur apud *Mombritium* T. I. *Vit. SS.* et apud *Bollandianos* T. II. *Januar.* p. 351. Larga tamen in *Cod.* nostro *Variantium* messis, id quod et de sequentibus *Legendis* dictum velim.

XXXVIII. *fol.* 106. *Incipit Passio Sanctæ Agathę Uirginis quę passa*